

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6565

Autre(s) référence(s) : Bates 251

Auteur(s) : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Benoît-sur-Loire (abbaye, abbé)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 1067, avril

Lieu d'émission : Le Vaudreuil

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, confirme la donation de l'église Saint-James de Beuvron faite par le duc Richard [II] de Normandie et son frère Robert (comte de Mortain), à l'abbaye de Saint-Benoît-sur-Loire. À la demande de l'abbé Hugues, le roi Guillaume donne à l'abbaye la moitié du château, que le roi a construit près de l'église, et de ses revenus et coutumes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Durand Ursin (Dom), Martène Edmond, *Thesaurus novus anecdotorum*, Paris, s. n., 1717, col. 196-198.
- b. Ménard Victor-Jacques, *Histoire religieuse, civile et militaire de Saint-James de Beuvron, depuis sa fondation jusqu'à nos jours*, d'après les documents d'archives, avec le plan de la ville et du château au moyen-âge, Avranches, Impr. de A. Perrin, 1897, p. 417-419.
- c. Prou Maurice, Vidier Alexandre, *Recueil des chartes de l'abbaye de Saint-Benoit-sur-Loire*, Paris, A. Picard, 1907-1912, 2 vol., t. 1, n° 78.
- d. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 251, p. 759-762.

Indications

Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 6a, n° 254.

Texte établi d'après d

Quicumque hac caduca et fragili detinentur vita oportet ut semper habeant pre oculis discussionem iudicii Dei omnipotentis et agant, dum licet, ne in ipsius iudicio inveniantur in sinistra parte cum reprobis, maxime quidem illos quos Dei providentia super alios extulit, qui quanto ditiores et sublimiores sunt ceteris tanto ad bona opera exequenda et ad iusta promptiores esse debens iudicia, que omnia perpendentes et secum sedulo pertractantes, Ricardus Normannorum dux et Robertus frater eius, pro redemptione et salute animarum suarum et antecessorum suorum, contulerunt Deo et sancto Benedicto ecclesiam sancti Jacobi, que in confinio Normannie et Britannie sita est, cum terra et aqua eidem ecclesie pertinenti. Circa eandem vero ecclesiam ego Willelmus successor eorum dux Normannorum et per Dei misericordiam Anglorum rex effectus, bellis ingruentibus, ob mee terre defensionem,

cum locus magis idoneus ad id videretur, castellum extruxi. Quo facto multa illi que ibi non pertinebant attribui, videlicet leugam cum sanguine et teloneo et mercatum de Cruce, pro quo Ranulfo abbati et monachis de sancto Michaelae commutationem et cambium dedi, et nundinas duas et pedaticum, tria stagna construxi et homines illos qui pro voluntate sua ibi manebant stabiles esse feci. Videntes autem monachi sancti Benedicti locum per me, Deo iuvante, melioratum, adierunt meam presentiam, communi consilio capituli sancti Benedicti, Hugo abbas et ceteri complures, orantes et humiliter deprecantes ut medietatem eorum que loco supradicto addideram illis donarem, eo pacto ut et ipsi me in medietatem suam colligerent, excepta ecclesia et oblationibus ad eandem ecclesiam pertinentibus, que ipsorum erant et sunt. Ego vero petitioni eorum libenter adquevi. Distinctio autem rerum inter nos talis fuit : medietatem totius castri scilicet ex molendinis, ex furnis, ex teloneis, ex pedaticis, ex nundinis, ex mercatis, ex omnibus iusticiis sive ex omnibus redditibus et consuetudinibus que ex ipso castro vel ex adiacentiis eius accipiuntur, et de omnibus ad hec pertinentibus que ibi meliorabuntur, medietatem mihi retinui et medietatem illis dedi, ita ut ab hac die et deinceps perpetuo in iure et dominatione sit sancti Benedicti et fratrum Floriacensis coenobii. De stagnis vero tribus, que ibi feci piscationem superioris mihi retinui, piscationem autem medii stagni totam illis concessi, piscationem quoque tertii inferioris mihi dimidiam reservavi et dimidiam illis dedi. De ministris vero hoc decrevimus : ut ministri sancti Benedicti mihi fidelitatem faciant et mei ministri fidelitatem faciant sancto Benedicto et monachis. Et quoniam pro hoc facto magis querebam et desiderabam, remunerationem anime quam corporis hoc mihi sponderunt, et hoc ab eis munus exegi, ut unaquaque hebdomada pro salute et incolumitate mea, et uxoris mee, et filiorum meorum, et pro remedio animarum predecessorum ac successorum meorum, missam unam celebrent et unum monachum vice mea et loco in monasterio sancti Benedicti habeant, et semper unum pauperem pascant. Orationes quoque et eleemosinas, et beneficia, et in vita et post obitum, mihi polliciti sunt et pacti, non solum in monasterio sancti Benedicti, sed et in coenobiis et cellis sibi appenditiis, et hoc concesserunt mihi communi consilio abbas et omnes monachi.

Et ut hoc firmum atque inconvulsum permaneat, signo annotationis mee subterfirmavi, uxoris quoque mee et filiorum meorum astipulatione firmari feci.

S(ignum) Willelmi regis Anglorum et ducis Nortmannorum +. S(ignum) Mathildis coniugis sue +. S(ignum) Roberti filii sui Normannorum comitis +. S(ignum) Richardi filii sui +. S(ignum) Hugonis de Gornaio +. S(ignum) Giraldi de Novo Mercato +. S(ignum) Stigandi dapiferi +. S(ignum) Henrici de Ferreris +. S(ignum) Rodulfi de Rodei +. S(ignum) Gisleberti Mammoht +. S(ignum) Rainaldi iunioris capellani +. S(ignum) Hilgerii.

Actum publice apud Redolium super Anduram fluvium, mensi Aprili, anno ab incarnatione Domini MLXVII, regante Philippo rege anno nono.